

B. N. II, 161.

b. 43, 2.

X 1880 7 M

I. N. D. N. J. C.

II R
4750

EXERCITATIO ACADEMICA

DE

ELECTIONE ET
SVCCESIONE
IN REGNIS

Q V A M

PRÆSIDE

Dn. JOANNE WERLHOFIO

J. U. L. & Polit. Prof. Publ.

Ordin.

Publice disquirendam proponit

AUCTOR

LUDOLPH BURCHARD BECKER

Helmstadiensis Saxo.

Die Junii

ANNO MDC LXXXVII.

••(o)••

HELMÆSTAD I,

Typis GEORG-WOLFGANGI HAMMII Acad. Typogr.

83. 3



858

J. W. D. M. J. C.
EXERCITATIO ACADEMICA

DE

ELECTIONE ET
SUCCESSIONE
IN REGNIS

J. W. D. M. J. C.

PRÆSIDENTE



INDOLPHUS R. D. RICHER

Anno MDCCLXXII

Typis G. W. ...





359
*SERENISSIMIS PRINCI-
PIBUS AC DO-
MINIS*

*DN. RUDOLPHO
AUGUSTO,*

Et

*DN. ANTONIO
ULRICO,
DVCIBVS BRVNSVICENSIVM
ET LVNEBURGENSIVM*

DOMINIS SVIS CLEMENTISSIMIS

*Hanc Academicam disquisitionem
demisse offert*

SERENITATUM EARUNDEM

humillimus Servus

Ludolph. Burch. Becker.

560
Serenissimi Principes
Domini Clementissimi

DUM SERENITATIBVS
VESTRIS paucas has pa-
gellas confecro, variis for-
san conatus meus exponetur judi-
ciis. Aliis minus matura videbitur
ætas mea amplitudini illius mate-
riæ, cujus tractationem suscepis; alii
temeritatis me in simulabunt, quod
tam leve chartaceum munus oculis
VE-

567
VESTRIS offeram, cum excelsum
illud fastigium, quo inter mortales
eminetis, majus quippiam & subli-
mius suo jure sibi vindicare queat.
Verum nihil horum me commove-
bit, dummodo VOS, SERENIS-
SIMI PRINCIPES æquiores expe-
riar judices, & conatus meus illo po-
tiatur scopo, ad quem collineat.
Unicus autem scopus est, ut submis-
sæ meæ reverentiæ erga SERENI-
TATES VESTRAS qualecun-
que edam documentum. Cui re-
linquendo tanto magis quidem in-
flammatum est animus meus, quanto
insignior est Vestra in Parentem
meum Clementia, quanto arctiori
vinculo me quoque illa obligat,
A 3 quan-

552.
quanto denique sum certior de singulari Vestro in eos favore, qui suam in studiis industriam & humillimam devotionem Vobis probare cupiunt. Hanc in studiorum cultores propensam voluntatem hæreditate quasi Paterna accepisse videmini à Gloriosissimis Majoribus & præcipue Gloriosæ memoriæ Principe AVGVSTO Parente Vestro, qui sicut doctissimis sui ævi Principibus palmam fecit dubiam: ita Vos vestigia ejus dudum præclarissime legentes, hodienum in cultiori orbe propter Sapientiam & Eruditionem si non majorem certe parem adepti estis famam & admirationem. Felicem vero Parentem,
in

in cuius Natis Paterna Virtus tam egregie revixit! Felicem illam Sobolem quæ tam felix illius æmula, avitam Gloriam non solum tuetur, sed etiam nimium quantum amplificat! Felicem Patriam nostram quæ moderamine ejusmodi Principum gubernatur. In primis hoc nomine sibi gratulatur Academia nostra Julia in qua Vestris auspiciis studia florent, in qua si quid laudabile geritur, Vobis (si à Deo recessero) prima debetur laus, prima Gloria: ut certissime confidam, clementissime vos intentionem meam interpretaturos quod primum ingenii quamtumvis exilis fructum ad Vos primum redire voluerim. Suffultus



fultus sane hac fiducia tam Excello
 Patrocinio studia mea humillime
 commendare audeo, ardentissimis
 votis Summum Numen depre-
 cans, ut SERENITATES VE-
 STRAS humanis rebus diutissi-
 me præesse, & serius in coelum redi-
 re jubeat, eamque felicitatem Vo-
 bis concedat, quam Divinas mentes
 in mortalibus corporibus fas est as-
 sequi. Vestra enim incolumitas flo-
 rentem Ecclesiæ & reip. nostræ sta-
 tum subditis quietem, literis otium,
 meis denique studiis certissimum
 præsidium pollicetur.

I. N. D.





I. N. D. N. J. C.

§. I.



Concors plurimorum Veterum traditio est, omnes antiquas gentes Regibus quondam paruisse; idq; genus Imperii primum ad homines justissimos & sapientissimos delatum. Neq; sane omni probabilitate destitutum videtur, quod in *1. Pol. 1. cap.* tradidit Aristoteles, primos familiarum patres domestico unius regimini assuetos eundem gubernandi modum ad civilis regiminis rationem traduxisse. Quanquam non minus subtilis ingenii acumen prodant, quæ pro antiquitate Popularis Reip. *l. 7. de J. N. & G. c. 5. §. 4.* quasi Aristoteli adversus annotavit Pufendorfius. Conjecturis nituntur pleraque, si qua de rebus vetustate nimia obscuris, veluti quæ magno ex intervallo loci vix cernuntur, disceptari solent, deficientibus præsertim literis, una fidelis memoriæ rerum gestarum custodia. Poterat tamen etiam Bodini sententia, à violenta invasione primam Imperiorum originem derivantis, sobria forsitan explicatione mitigari, nisi indignum videretur primo illo Ordinis Civilis ortu, rei inter homines saluberrimæ, nimis generaliter prolata citra omnem censuram admittere. Sane enim quæ de Nimrodo ex sacris literis afferuntur

B

tur

566
tur, rem non evincunt, & quæ de servitiorum copia in vetustissimis Imperiis subjungit, saltem universim, quidquid civilium societatum est, vi & oppressione vicinorū constitutum fuisse, parum solide demonstrant. Sola certe non sunt, quæ frequentia licet, perpetua tamen non sunt. Parum quoque rationi congruit, ab uno patrefamilias plurimis libertatem ereptam fuisse, ante quam societate inter plures una familias constituta, conjunctæ singularum vires aliis vim inferre possent. Verum omissis in præsentia, quæ de primæva regnorum constitutione, tum de aliis Principatum consequendi modis disquiri poterant, præcipue de duobus solum frequentioribus, de ELECTIONE & SUCCESSIONE, nec nisi pauca duntaxat Academici exercitii gratia annotabimus. Juvabit autem primum definitionibus allatis utriusque indolem, modos, temperamenta, & discrimina considerasse, tum deinde expositis, quæ ad commoda & incommoda, ad præcipua momenta & effectus civiles pertinent, excerpta deniq; ex fœcunda quæstionum copia, si quæ uberiori cum ante allatorum, tum totius doctrinæ hujus intellectui inserviunt, affusa passim exemplorum luce subjungere.

II. Intelligimus itaque *Electionis* nomine eum imperii acquirendi modum, quo per libera sive Populi sive certi alicujus Collegii suffragia Principi imperium defertur. Stare ac librari Civile corpus sine Rectore nequit, ipsaque ratio & natura præclarum in rebus humanis ordinem atque summum aliquid exposcunt. Cui & quibus modis gubernandæ Reip. potestas committenda sit, cum naturalis ratio non determinet, huma-

167
humanæ voluntatis libero arbitrio relictum censer
debet. Quodsi itaque semotis iis, quæ ex lege & con
stituto veniunt, Populum sui juris atque civili libertate
conspicuum consideremus, intelligi ille citra liberam
facultatem proprio iudicio Rectorem sibi pro lubitu
sumendi non poterit. Tum vero cum creandi Prin
cipis potestas ad res illas pertineat, propter quas
civilis societas instituta est, sequitur, omnibus iis,
qui ex æquo illius membra sunt, naturaliter hanc
facultatem tribuendam esse, ita, ut, in ipso electionis
negotio pars major nomine universi corporis sin
gulos obliget.

III. Elegisse autem Populum intelligimus, sive
totus coierit, sive per legatos partium integrantium
sufficienti mandato instructos. nam quod faciendi
quis alii jus dat, ejus ipse auctor censetur. Ita in
Hungariæ quondam regno ad campum Rachosi in
Pesti suburbanis comitia eligendis Regibus habeban
tur, in quibus omnes Ungarorum Pontifices, Opti
mates, Nobiles, ac universi Magistratum Ordines,
civitatumque legati ad creandum novum Regem ar
mati conveniebant. Unde universo Senatui, Populo
que Ungarico electionem apud Bonfinium tribuit
Episcopus Varadiensis, quando Matthiam Corvinum
Regem salutans, *salve*, inquit, *Matthia Rex Pan
noniæ, quem publicis votis, omnibusq; suffragiis Senatus
Populusq; Ungaricus, Principem & Regem suum esse jus
sit.* Neque aliter de Germaniæ more Veteri Wide
kindus Corbejensis lib. 1. *Regi Ludovico non erat
filius, omnisque populus Francorum atque Saxonum
querebat Ottoni diadema imponere regni.* Etenim fieri
quidem

quidem in amplioribus saltem civitatibus vix potest, ut ad eligendum Principem universa multitudo Populi conveniat. Quamobrem vel per legatos res expediatur necesse est, vel ad solos Proceres atque Optimates regni devolvatur electio; sicut in Poloniae quoque Regno, ubi plebs agriculturæ, opificiis & mercaturæ addicta, à publicæ rei cura excluditur, Senatus & Nobilitas Regem eligunt, quanquam tamen ut Cracoviæ & Vilnæ ita Gedanensis quoque Civitatis legatis suffragii jus concessum fuerit anno 1632. Exstat promulgatæ Regiæ electionis formula apud Piascium, *Regem Vladislaum electum concordibus sententiis (Ordinum Regni) & ab Archiepiscopo Gnesnensi Regni primate nominatum esse, ipsumq; pro Rege vero legitimeq; electo ac nominato ab omnibus recognosci debere.* Potest denique contingere, atque factum alicubi videmus, ut ad certum aliquem Senatum aut Collegium omne Principis eligendi jus translatum sit. De Germanici Imperii hodierno more, contracta à cæteris Optimatibus ad Electorale Collegium Cæsaris designandi facultate, manifesta res est. Sed & Romanorum Pontificum electio post varias commutationes rerum tandem ad solum Cardinalium coetum devolvi cœpit; etiam in illorum tamen numero à communi cæteris jure exclusis iis, quibus vel Episcoporum, vel Presbyterorum, vel Diaconorum dignitas non competit.

IV. Fieri electionem diximus per suffragia. Juris enim effectus, qui ab animo pendent, non possunt ad solum animi hunc vel illum imperio destinantis actum consequi, nisi is actus externis signis indicatus

569.
catus sit. Signa autem consensus sunt & alia præter
voces. Naturaliter enim consensus qualitercunque
indicatus & acceptatus vim habet juris transferendi
& constituendi. Quibus consequens est, suffragiorum
vocem in præsentia materia ad omnem validam vo-
luntatis suæ de futuro Principe declarationem pro-
tendere. Ita non à præsentibus solum, verum etiam
per eos, quibus vices absentium delegatæ sunt, Re-
ges designari posse, jam ex ante dictis perspicuum
est. Quod si tamen absentia sua aut aliter impediti,
penes quos electionis jus est, jure suo uti nolint aut
nequeant, paribus quidem cæteris illorum absentia
reliquorum juri non officiet. Quo referre licebit
exemplum haud ignobilis disquisitionis circa Electio-
nem Cæsaris Ferdinandi III. propter Trevirensis Ele-
ctoris absentiam, contrariis scriptis, *Examine Comi-
tiorum Jo. Stellæ sub Justi Asterii nomine latitantis &
Ostermanni Throno Regali* agitatae. Vid. Capit. Ferdin.
III. art. 50.

V. Plures uno Electionis modi observatu digni
in sola Romanorum Pontificum Electione occurrunt,
ad tria potissimum capita revocari soliti. De quibus
præter aliorum scripta legi meretur *Ceremoniale Con-
clavis Gregorii XV.* in hac ipsa Julia Cl. Conringii
studio quondam typis excusum. Primum *quasi per
inspirationem* Gregorius eum esse definit, quando
universus Cardinalium coetus concordibus suffragiis
Pontificem proclamat. Aliis *per Adorationem* iste
Pontificis creandi mos vocari solet, cum duæ Cardi-
nalianum partes haud expectato Scrutinio vocetenus
omnium consensu futurum Papam venerantur. Alter

per compromissum modus est præcipue à recentiorum temporum usu alienus, cum aliquibus Patrum vice omnium eligendi potestas committitur. Tertius atque frequentissimus modus *per scrutinium* duplicis generis est. Nam vel *simplici scrutinio* absolvitur, vel *cum accessu* fit. præparantur à magistris ceremoniarum schedulæ, cognitisque per sortem scrutatorum & eorum qui pro Cardinalibus infirmitate laborantibus deputantur, nominibus, suum & Pontificis eligendi nomen schedulis Cardinales inscribunt, quæ deinde complicantur & obsignantur. Postea ad altare delatæ, præstito à Cardinalibus singulis juramento in calicem immittuntur, permixtæque inter se per primum scrutatorem & per ultimum numeratæ tandem per scrutatores publicantur, publicatæ in filum inferi & seorsum deponi solent. Sequitur denique *post scrutinium*, & si duæ tertiæ Cardinalium consenserunt, numeratis, recognitis, & combustis schedulis res peracta est. Sin ut fieri fere solet, per scrutinii codicillos negotium haud confectum, *accessus schedæ* sumuntur, quibus, cuinam per scrutinium electo accedere velint, cæteri Cardinales inscribunt, factaq; sigillorum & signorum apertura & annotatione in folio quodam impresso, suffragia examinantur, numerantur, recognoscuntur, schedæque comburuntur. Quodsi vero neque sic sufficiens suffragiorum numerus adsit, sigillorum, signorumque apertio & annotatio, suffragiorumque examen non requiruntur. Atque solent sane & adoratio, & accessus, quo Cardinales eum, quem per schedas primum elegerunt, voce Pontificem eligere solent, per scrutinium
ut

ut plurimum confirmari. qua de re licebit legere, quæ ab Auctore Cardinalismi Rom. part. 2. lib. 2. circa finem annotata sunt. De perplexa & subtilissima Ducis Veneti eligendi ratione præter Contarenium lib. 2. videri poterit Donatus Janotius.

VI. Distinctio Electionis in Liberam & Restrictam compluribus Civilis doctrinæ interpretibus usitata ac pene vulgaris, neque penitus fundamento destituitur, neque ei tamen repugnat, quod supra diximus, suffragia *libera* hic requiri. *Liberi Voti Electionem* vocant, qua in quamlibet personam imperio gerendo habilem id conferre licet. *Restrictam* quæ vel certis legum limitibus, vel ad certam gentem aut personas certas alligata est. Neque enim aut ratio aut usus Gentium simpliciter admittit, quod à Plinio cap. 7. nimis generaliter dictum est *in Panegyrico: imperaturum omnibus eligi debere ex omnibus.* Illud certum est, ubi ex alieno iudicio aut ex legibus Principis constitutio absolute pendet, electionem non agnoscit. Verum potest sane Populus sui juris absolutam eligendi libertatem variis modis contemperare, illibata nihilo fecius manente, ex iis, qui pro inidoneis non habentur, proprio iudicio eligendi facultate. Ut si externum, si alium quam ex prisca Regum profapia quamdiu regimini habilis ex illa superest, aut nisi certa quadam qualitate conspicuum, creari Principem leges aut mores publici prohibeant. Quanquam idoneis cautionibus hanc Philosophiam muniri gravitas rei postulet.

VII. Sciendum est igitur, ubicunque Populo libero Principis eligendi perfectum jus est, vix esse
ut

im
ice
at-
icis
vel
ia-
um
an-
icis
uæ
al-
ra-
ter
me-
ein
de-
um
stis
per
ces-
um
, fa-
one
nu-
un-
um
&
un-
quo
ge-
um
ut



572
ut per leges & mores publicos electionis libertatem efficaciter restrictam esse, dici queat. Se enim per modum legis, id est, per modum Superioris, obligare nemo potest. & hinc est, quod Legum Auctores habent jus leges suas mutandi. Vid. Grot. l. 2. de J. B. & P. c. 4. §. 12. Ubi vero in certum aliquem Senatium aut Collegium Principis eligendi jus translatum est, longe facilius accidere potest, uti certis velut limitibus publicæ utilitatis gratia nimia eligentium libertas circumscripta sit. Ibi itaque sicut Electoribus Rectoris designandi facultas jure competens adimi non potest, ita vicissim his non est integrum, extra legum aut publici moris limites in eligendo evagari, siquidem vis publicarum legum à populi voluntate non ab ipsis eligentibus pendet.

IIIX. Cœterum quid si perpetuo ex eadem familia Regum defunctorum liberi aut agnati proximi istis non exstantibus Principes sumantur, manebitne electio, an vero successionis naturam ea induisse existimanda erit? Sane sicut in omni pene negotio Civili nullum est, quod in simplicissima forma sua persistat, ita in præsentis quoque disquisitione agnoscendum est, dari quædam Imperia, in quibus eligendi libertas vero quodam successionis jure velut contemperata sit, quanquam ut in aliis rebus, quæ hujus sunt generis, ambiguum sæpe æstimationem varia rerum in utramque partem momenta faciant. Equidem ubi solius publicæ utilitatis gratia atque more quodam veteri citra jus familiæ regnatrici quæsitum, in eadem illa familia persisti constat, non est dubium, quin veræ electionis non solum nomen, sed & vis illibata duret.

Bene

Bene de Polonici regni comitiis, Stephano R. extin-
 cto habitis Piafecius, Moscho, inquit, & Piaſto jam
 ſepoſito recens fortitudinis, meritorum, & in plurimos
 benefactorum memoria Stephani R. ſatis permovebat, ne
 Batorii excluderentur, cum & more antiquo fuerit re-
 ceptum, quantumvis libere Rex eligeretur, Regi defun-
 cto proximos ſanguine non præteriri. Sed Anna Regina
 fortius inſtabat pro ſororis ſuæ filio Sigismundo, adjuta
 non ſolum opera clientum, ſed etiam Jagellonici ſanguinis
 majeſtate. ejus enim obſervantiam ſummam in iſtis po-
 pulis vigere, præcipuamq; rationem illius haberi omnibus
 ante actis Interregnis ipſamet Regina in perſona ſua fuit
 experta. Enimvero ubi regnatrici familiæ certum
 aliquod jus quæſitum eſt, aliter judicandum erit. De
 Hungariæ Regno Zagrabiensis Episcopus ad Caro-
 lum Neapolitanum orator miſſus ita Regem designa-
 tum alloquitur: *accipies regnum non tam à nobis Tibi*
traditum, quam quia a vitum eſt, hæreditario jure tibi de-
bitum. Sed & Regina Maria, quam electo Carolo
 abdicaverant, eadem ſucceſſionis jura urgens animo-
 ſe Ungaris reſpondebat, paternum diadema ſe nun-
 quam reſignaturam ſibi jure datum, neque hæredi-
 tario juri, quo Regnum accepisset, renunciaturam.
 Ita Vladislao poſthumo Alberti filio in Comitiali cam-
 po ad Peſtum, priſtino ritu Rege declarato, cum Re-
 giæ electionis decretum Cæſari Ungariæ Legati ex-
 poſuiſſent, reſponſum acceperunt, *electione opus non*
ſuiſſe ſuper eo, quem jus hæreditarium & natura Regem
genuiſſet. Inprimis vero Austriacæ deinceps domui
 confirmata fuerunt ſucceſſionis jura pactis Poſonien-
 ſibus cum R. Vladislao & Ungariæ Regno an. 1491.
 initis, quæ in Appendice Ungar. rer. exhibet Sambu-
 C
 cus.

Vid. Bon-
 fin. Dec.
 3 l. 1, & 7.

cus. Videri poterunt de jure Austriacorum in Ungariam *Widemanni*, in Bohemiam *Streinii & Slickii* Disquisitiones à Goldasto editæ, & quæ huc spectantia primo Publicorum Actorum tomo exhibet *Lundorpius*. Maximeq; hic laudari merentur, quæ de Regni Bohemæ juribus integro sexto libro fufe persecutus est Goldastus.

IX. Inter alia bene à celeberrimo Viro observatum est, ex vocabulis nudis eligendi, Germ. *Kiesen/wehlen/Wahl*/ Slav. *Woliti*, ad electionem proprie ita dictam argumentari non licere. Quicum congruunt, quæ de illustri exemplo Regni Francici in historia temporum Caroli M. contra Fr. Hotomannum disputavit Boeclerus. Præcipue enim in Civilibus id cavendum est, ne ambiguo sono nominis quis decipiatur. Etiam si igitur cum consensu populi aut optimatum Reges constituti legantur, ex eo tamen nondum liquido apparet, qualis vis consensui illi tribuenda sit. Placet tamen nobis in dubio Cl. Pufendorffii doctrinam sequi, non tam nudum instar inaugurationis aut præstationis homagii quam vim suffragii negativi huic consensui tribuentis, quo solenniter interveniente regnum aliquod regulariter ad defuncti filios devolvatur. Nam, ut clarius mentem in sequentibus explicat, *in talibus regnis Populus aut Proceres conveniunt non tam ut Regem eligant, quam ut declarent, nihil se in filio reperire, quo minus patris successor esse queat.* Quæ si exemplo Regni Francici sobrie applicentur, conciliari fortassis aliquo modo poterunt, quæ adversus, ut dixi, Hotomanno nimio libertatis Popularis studio latius subinde evaganti, annotavit Boeclerus. Itaque & successionem quasi agnaticam

575
ticam in Francorum Veteri illo Regno Grotius agno-
scit, subjungens tamen, eam non tam à jure certo,
quam à Populi suffragiis dependisse. add. *Id. l. 2. c. 7.*
J. 30. n. 3. Et l. 1. c. 3. §. 13. n. 1. Verum non est nostri
instituti, subtilius hæc excutere.

X. Proprie ita dictæ *Successionis* nomine quid
hoc loco intelligamus, jam ex dictis liquere potest,
videlicet, *eum Imperii acquirendi modum, quo ex jure*
certæ cujusdam siue personæ siue familiæ regimen defer-
tur. Sicut enim in Regnis, ubi vera viget electio, per
suffragia eligentium regnandi jus acquiritur, ita per
successionem imperandi facultas semel cuiquam par-
ta aut in aliquem collata, in posteris ejus continuatur.
Diximus ex jure *certæ cujusdam siue personæ siue fa-*
milia. Alibi enim Imperium ex jure proximi Re-
ctoris promanat, alibi ex vi juris primitivi integræ
cuidam familiæ, vel simpliciter, vel certo quo-
dam modo delati proficiscitur, pene ad eum mo-
dum, quo in Feudis aliqua ab ultimo possessore, alia
ex jure primitivæ investituræ siue sanguinis jure à pri-
mo acquirente ad hæredes devolvuntur, quorum illa
hereditaria, hæc *ex pacto Et providentia* vocari solent.
Quæ prioris generis est, successio in regnis patrimo-
nialibus obtinet, in regnis vero, quæ ex populi con-
sensu certam successionis legem acceperunt, præ-
sertim alteri illi succedendi modo locus est, quam no-
bilem & apprime huc pertinentem distinctionem
l. 2. c. 7. de J. B. affert Grotius.

XI. Imperia, quæ in pleno jure proprietatis, aut
alienabilia vel in patrimonio imperantis esse dicuntur,
quam naturam habeant, ipsa vocis significatio abunde
prodit

prodit. Homines rerum domini ut dominium aut totum aut ex parte transferre possint, juris est naturalis. Quod si ergo certum est, dari quædam imperia, quæ in imperantium dominio vere sint, planum est, omnem in istis succedendi normam à voluntate Rectoris desumendam esse. Posse autem verum Civitatis alicujus dominium acquiri cum jure victoriæ, ubi citra exceptiones ullas devictus populus in victoris Principis potestatem venit, tum ex voluntate populi liberi absoluto domini aut Rectoris arbitrio, vel simpliciter, vel quoad dispositionem de futuro successore se permittentis, caret dubio. V. Grot. *de J. B. l. 1 c. 3 §. 12. §. 14. §. 1. 3. c. 8.* In talibus ergo Imperiis jus est Principi successorem sibi designandi pro lubitu, neq; minus per actum intervivos, ut per donationem per emtionem venditionem, quam actu ultimæ voluntatis imperium transferendi. Quamvis possit tamen sicut vis domini, ita quoque facultas ista constituendi successoris variis plane modis restringi atque contemperari. De Urbe Avenionensi Machiavellus lib. 1 Hist. Florent. *Joanna:* inquit, *Neapolitana civitatem Avenionem donabat Ecclesiæ Rom. quam jure hæreditario possidebat & significantius Bonfinius Dec. 2. l. 10. Joanna Avinionem urbem, urbem inquam patrimonii sui, se ultro concessuram Ecclesiæ pollicetur, & ne regnum mercari videretur, urbem dono datam se vendituram ostendit. Idem Auctor (Dec. 2. l. 4.) de Dalmatiæ & Croatiæ Regno: Zelomirus Rex Dalmatis imperabat, cui Vladislai soror uxor erat. Vir sine liberis, legato conjugii Regno, vita decessit. At illa liberorum orbitate laborans, cum neminem haberet, cui regnum æquius legaret*

garet, fratri repente ac posteris addixit, jussitq; deinceps Dalmatiam & Croatiam universam Ungaricæ ditionis haberi. Quod si voluntatem suam expresse Princeps non declaraverit, liberis, aut si illi non existent, propinquis suis successionem destinasse præsumendus est. Atque creditur sane in dubio id quisque voluisse, quod æquissimum atque honestissimum est. Neque vero vage de ultimarum voluntatum conjectura, sed ad naturalem æquitatem & tranquillitatem publicam convenienter philosophari decet. Cæterum ne ipsius quidem expresse declarati arbitrii facultatem in infinitum protendi, ratio naturalis juris atque sanctimonia civilis societatis finit, maximeque profecto abominandum est facinus (demus enim vera esse, quæ Septemtrionalium rerum scriptores antiquioris ævi historiam multis passim fabulis involutam exponentes memorant) sive Osteni Suedorum Regis sive, qui auspiciis ejus rem gesserit, Gunnari, in opprobrium devictæ gentis canem Norwegiæ Regem constituentis, in quo inusitatam conditionis deformitatem Saxo Grammaticus l. 7. & haud facile credendam posteritati inhumanitatem, ex Snorrone Sturlesonio fufius rem proponens, cordatissimus rerum Svedicarum scriptor Loccenius notat. l. 1. Hist. Suec. Nec immerito hic Stephanum Johannis Stephanium, inauditæ foeditatis exemplum militaribus signominis & castigationibus accensentem, ac Jo. Magnum l. 7. hist. Goth. c. 16. Orcadum à Norwegia avulsarum damnum majoris æstimantem, quam immanem illam contumeliam, docte arguit Boeclerus, plura hanc in partem observatu digna adjiciens in ad Grotii l. 2. c. 7. annotatis.

Eric. Olai
Hist. Suec.
l. 1.



XII. Diversa à patrimonialibus regnis illorum Imperiorum conditio est, in quibus constantem succedendi ordinem Primitiva voluntas Populi induxit, eodem jure, quo Rectores Regnorum domini, gaudens. Quemadmodum enim electionis libertatem sibi reservare potest populus sui juris, ita licet quoque eidem, ubi successione Imperium deferri placuit, non tam ex voluntate illius, cui libero consensu regnum hæreditario jure possidendum tradit, successoris constituendi facultatem suspendere, quam integræ cuidam familiæ firmum quoddam ac perpetuo valiturum imperandi jus aut simpliciter aut sub certa quadam conditione ac modo deferre. Itaque si per leges aut mores publicos liquido de populi voluntate constet, nullis dubiis res urgetur. Sin minus & ad præsumtam populi voluntatem recurrendum est, nisi aliunde validiores conjecturæ suppetant, populus circa successionem illud voluisse præsumitur, quod quam maxime Imperio expedit. Atque posse quidem varios succedendi modos induci, ipsa humanæ voluntatis, unde in hoc negotio jus promanat, libertas ac diversa plane diversorum imperiorum ratio affatim documento sunt. Ita facultas regnandi in familiam Regiam aut in posteros ex primo Rege venientes alibi velut instar hæreditatis cujusdam magis communi quodam succedendi modo, quam ordine certo transit, alibi certa quadam linearum ratione habita, cui *successioni lineali* passim hodie usitatae, si ad fœminas quoque, ut in Hispania, Regnum devolvitur, *Cognaticæ*, sin ad solos mares ut in Gallia, *agnaticæ* nomen est, alibi denique alius sive ordo sive modus

dus

579
dus successionis viget. Possunt etiam leges ita de
successionis negotio disponere, ut & imperantium ar-
bitrio locum aliquem relinquunt.

XIII. Quæ de utriusq; Principatus acquirendi
modis, cum de electionis, tum de successionis & præ-
stantia, & incommodis passim etiam in vulgaribus
Politicae Philosophiæ compendiis disputantur, non
est animus, prolixiori disquisitione hîc recoquere. Nisi
quod monendum tamen paucissimis videatur, impe-
rite in hac materia nonnullos, quosdam etiam incau-
te & periculose loqui. Maxime autem in his errari
solet, quando generali quadam definitione proposita
ad cujusvis Reip. habitum citra discrimen applican-
tur, quæ non nisi Populi cujusque genio, singulari-
umq; rerum habitu probe inspectis dijudicanda erant.
Indubitatae veritatis principio nituntur, qui nihil in
Civilibus agnoscunt, quod incommodis careat, neq;
in istis minus quam in omnibus cæteris humanis re-
bus valere, quod ab Arbitro dictum est, *apes ideo
pungere, quia ubicunque dulce est, ibi Sacidum reperia-
tur*. Sane ubi semel certum & constantem habitum in
electionis aut successionis negotio Resp. quædam sin-
gularis induit, disputationumque subtilitati ansam
leges aut mores publici præciderunt, eo quisque
prudentius philosophari existimandus est, quo magis
præsenti rerum statui verba, animumque accommo-
dat.

XIV. Videmus non solum dominationi a sæveto
Orientem certæ dominorum domui subiectum dege-
re, verum etiam animosas & inquietas gentes, ut Bri-
tannos & Gallos, hæreditarii Imperii vinculis in offi-
cio

580
cio contineri. Sicut enim iis, qui regi quam regere norunt rectius, eligendi libertas parum congruere videtur, ita in turbidi ac ferocis ingenii populo certa succedendi norma infinitis turbis atque seditionibus præcludit viam; & minori discrimine sumitur Princeps quam quæritur. Etiam ingenii ad regnandum natis velut augustius quiddam natalium splendor atque accommodata ad excelsæ fortunæ fastigium disciplina insinuat; & quos dominos olim populus adoraturus est, jam inde à teneris venerari discit. Quod si degeneres aliquando etiam ab optimorum parentum virtute successores cernas, interdum quoque sub Rege puero aut fœmina Regnum periclitari, tamen neque ista continua sunt, & interventu meliorum pensantur. Neque vero minus feliciter alibi gentes acriori libertatis gustu imbutæ acceptum à majoribus principis eligendi morem transmiserunt ad posteros. Quo saluberrimo præter alia fundamento, ipsius quoque Germanici Imperii statum suffulciri notum est; periculis quæ ex interregni tempestate oriri solent certa Vicariorum imperii constitutione opposita. Ita apud Polonos extincta Jagellonica stirpe, unde diu principes eligere gens assueverat, post Henricum Andegavensem Stephanus Batorius princeps sapientia, fortitudine & justitia inclytus, licet dissidentibus suffragiis primum electus Regno quod electione obtinuerat, præclarissime præfuit. Neque recentissimis temporibus eidem Reip. Polonicæ fraudi fuit, post abdicationem Johannis Casimiri Sigismundo geaiti Michaellem Wisniovezium, eoque defuncto, Joannem Sobieskium Reges elegisse.

XV. E

581

XV. E veteribus graviter eligendi Principis libertatem apud Tacitum commendans Galba, *Sub Tiberio*, inquit, & *Cajo & Claudio unius familiae quasi haereditas fuimus* : loco libertatis erit, quod eligi coepimus. Et finita Juliorum, Claudiorumq; domo, optimum quemque adoptio inveniet. Nam generari & nasci à Principibus fortuitum, nec ultra aestimatur: adoptandi iudicium integrum; & si velis eligere, consensu monstratur. Quamvis accuratius institutum illius perpendentibus haud difficile appareat, oratorii schematis involucris nonnihil obtegisse, quæ solidioris Philosophiæ examini sustinendo minus firma sunt. Certe libertatem sapit, eligere, à quo regi velis, & ex omnibus imperio idoneis eligere optimum. Verum norunt, qui Civili iudicio res humanas prosequuntur, quam sit anceps electionis negotium, & quam frequentissime illud intervenientibus Optimatum & Electorum ambitu, diffidiis, factionibus turbari soleat. Ubi sola præter alias Rom. Pontificum electio sufficientibus documentis scatet. Nam ne rigidissimæ quidem leges Conclavis, cui Cardinales Electores includi voluit Gregorius X. abrogata licet per ejus successores, sed restituta deinde & à Bonifacii. IIX. temporibus usq; observata constitutione, partium factionumque studia aut diffidia remorari potuerunt. Ipsam virtutem ad Pontificatum evehendis quam sæpissime obfistere, sive invidia aut conspiratione, sive privato quodam affectu obnitentibus, *in de Sacris Cardinalium Comitibus* dissertatione annotavit Lottinus, licet illarum tamen virtutum ratio haberi soleat quæ in aliorum utilitates se dispensant. Ne austeri, ne turbulenti

D

creen-

582
creentur, eligentibus curæ est. Pietas, sanctimonia
morum, peritia Scripturæ Sacræ parum respiciuntur.
Præsertim (Thuano *lib. 134* quoque id observante) in
votis Cardinalium est, uti brevis ævi Pontifex cre-
etur, quo celerius successori pandatur via. Illustrissi-
mo loco oriundis natalium splendor persæpe impe-
dimento est. In Hispanicis ditionibus, Galliaque
natis patria officit, illis Gallica, his factione Hispani-
ensi obsistentibus. Quarum utraque certi cujusdam
capitis moderationi subest; sicut nec vaga si quæ adest,
neutri Principi studens factio principe destituitur,
quam factionem *volantem* vocare solent, *squadron*
volante. Vid. præter Rom. Pontif. Conclavia Au-
ctorem Cardinal. Rom. part. 3. L. 3. Haud inconcinne
tamen plurimorum Pontificum Electioni applices,
quod de Claudii ad Imperium evectione affert Tac-
itus L. 3. Ann. c. 18. fama, spe, veneratione potius omnes
destinatos imperio, quam quem futurum princi-
pem fortuna in occulto tenuerat. add. Amirat. ad Tac.
L. 3. dis. 1.

XVI. Nervose ingeniosissimus Barclajus in Ar-
genide: *non dignissimus utique erit, quem Principem*
comitia dicent, sed aut potentissimus aut felicissimus,
quorum utrumque ab arte regnandi abesse multum potest.
Certe elegantia sunt dignissimaque lectu, quæ apud
cordatissimum scriptorem duabus contrariis oratio-
nibus Lycogenis & Dunalbi de electione & successi-
one disputantur. Inter cætera Germaniæ quoque
nostræ atque Caroli IV. Cæsaris exemplo ostenditur,
quomodo in regnis, quæ electione deferuntur, etiam
principes familiæ suæ regimen confirmare allabo-
rantes

rantes suffragandi libertatem sufflamment. Ipsi Aquilii, inquit, diverso è genere lecti, quam sæpe majestatis suæ vires his proditas curis fregerunt? Inter hos ille cujus sanctiones aureas dicunt, ut filio (Wenzeslao ad imperium gubernandum minus, uti postmodum apparuit, habili) regnum pararet, quo pretio suffragatores emit? quo deinde sceptri incommodo, cum solvendo non esset, publica iis vectigalia concessit? quæ primum pignoris nomine occupata mox isti imbecillitate & errore regnantum in hereditatem verterunt. Vid. Huldric. Mutii Chron. German. lib. 25. Naucler. Generat. 46. Dubrav. Hist. Bohem. lib. 22.

XVII. Præcipue de electionis libertate philosophantibus observandum est, in imperiis, ubi istæc obtinet, majorem ut plurimum, quam in Regnis successione deferri solitis, cohibendæ principum potestati locum esse. Competit enim Populo sui juris, ut eligendi, ita quoque certis legum limitibus potestatem futuri Regis circumscribendi facultas. Et si illud liberæ voluntati ejus relictum sit, utrum facultate ista uti velit, nec ne. Quod si igitur vere Monarchicum imperium in futurum Principem transferre velit, quo minus effectum suum voluntas illa consequatur, nihil impedimento est, licet Monarcha extincto libertas pristina ad Populum reversura sit. Neque enim iis assentiri possumus, qui discrimen summi imperii aut summo minoris ex delatione imperii per electionem aut successionem desumendam opinantur, quos rectissime Grotius redarguit, L. 1. de J. B. c. 3. §. 10. num. 5. Quemadmodum igitur non electio, verum Leges, quibus imperantes adstrin-

onia
tur.
e) in
cre-
risfi-
pe-
que
ani-
dam
dest,
tur,
dron
Au-
inne
ces,
Taci-
nnes
inci-
Tac.
Ar-
ipem
nus,
otest.
pud
atio-
effi-
que
itur,
tiam
abo-
ntes



adstringuntur, formam regimini assignant, ita quoque successio non est titulus imperii, ex quo de illius summitate judicari queat, sed continuatio imperii veteris, quale illud in majoribus existit. Si penes istos absolute Monarchica potestas fuit, in posteros quoque eadem propagabitur; sin minus, atque certis velut limitibus circumscriptam illam antecessor & regnatrix familia possederunt, neque in successores majorem potestatem illi potuerunt transmittere. Certe ad Laconicos Reges magis nomen regium, quam vis imperii, jure tamen hæreditario deferebatur, contra Romani Pontificis Cardinalium suffragiis debita, sed Monarchica potestas est. Venuste Grotius: *Jus ab electione familiæ cceptum succedendo continuatur; quare quantum prima electio tribuit, tantum defert successio.* addimus: nisi forte primitivo familiæ regnatrix juri posteriora tempora mutationis aliquid adjecerint. Fieri enim haud difficulter potest, ubi successionis jura obtinent, uti Principes animosi atque dominationi quodammodo à teneris innutriti potestati magis magisque amplificandæ & intendendæ studeant, sicut vicissim non minus sub ignavis principibus vis imperii remittere persæpe solet.

XIIX. Consequens iis est, quæ diximus, non eadem libertate Regem deponi posse, qua potest eligi, quoniam ex voluntate libera jus tale produci potest, quod deinde à voluntate non pendeat, sed effectum habeat necessitatis. quid si enim omnem potestatem & perfectum sui regendi jus in electum Principem populus transcripserit, non nisi illo mortuo ad se reversura? aut restrictum quantumvis legibus, summum

585

mum tamen in eundem imperium contulerit? Equidem laxius electionis jura & libertatem suam Populum aliquando extendere & illius nomine abuti in aperto est. Idem, quem ante nominavi, Barclajus Ferdinandi II. Cæsaris, Ungariæque & Bohemiæ Regis fatum memorans, *Cerne*, inquit, *Aquilium*. *Duo Regnatotidem Comitibus non pridem adeptus paulo post eorundem hominum pœnitentia excidit sceptris. Rite inauguratum negare. Ita ferro, cladibus, vastitate terrarum repetendæ res fuerunt, hinc in Peranbylæum (Transylvanum) alterum ex Regnis (Ungariam) ambientem, hinc in Deresicum (Federicum Palatinum) jam alteri (Bohemiæ) incumbentem. quibus tandem cordate subjungit: Hæc vero nonne summa discrimina existimes, iisq; pejora quibus interdum nostrorum (Gallicorum) pueritia Regum funesta est? Vid. des Churfürstl. Collegii Schreiben an Kühr Pfaltz wegen Abtretung der Kron Böhmen ap. Lundorpium p. 2. l. 5. c. 6. Nollem itaque, doctissimo viro, Michaeli Piccarto ad 3. Polit. Aristot. c. 15. commentanti nimis generatim ac de plano pronuntiata istæc excidisse: Electi (Reges) si maxime imposuerint electoribus, ut quinquennio suo Nero, principio imperii Tiberius, abdicari rursus possunt, veluti in nostro imperio Wenceslaus & Adolphus Impp. in Polonorum Micislaus solio dejecti rursus sunt. Vid. Boecl. ad Grot. l. 1. c. 4. §. 9. De Micislao legi potest Cromerus l. 6. §. 7. rer. Polon. Nobis certum habetur, quoniam etiam per electionem summum imperium deferri potest, paribus quidem cœteris, non magis Monarcham in Regno electione parto, quam in hæreditario deponi posse. Ubi vero partim Principi*

586
summæ potestatis jura Populus contulit, partim sibi retinuit, itidem partem summi imperii electionis jure acquisitam eripere principi citra injuriam non licet. Quod si Rectoris abdicandi potestatem in certum eventum populus sibi reservavit, aliud dicendum est. Quamvis etiam tacitis exceptionibus, modo perquam caute & sobrie adhibeantur, locum aliquem hic concedamus. Verum non est hujus instituti fusius nunc excutere quæ ad hanc philosophiam pertinent. Vid. Conring. ad Lampad. p. 3. c. 11. §. 11. in Dissert. de negot. convent. Imperii §. 46. seqq. & in Dissert. de Capit. Cæs. §. 56. seq.

XIX. An principi ultro regimen liceat deponere? alia quæstio est. Legimus quidem Romæ expressa lege eam licentiam Rom. Pontificibus tributam, quam ex naturali ratione aliquis fluere opinetur. Verum lata constitutio illa fuit, quo Cœlestini V hominis probi & simplicis, instantibus acriter Cardinalibus Pontificatum abdicaturi, conscientiæ consulere-
retur. V. Platina in Cœlestino. Atque confirmata licet per Bonifacium IIX. lege, fere neminem tamen deinceps Pontificum tam fuisse simplicem, ut illius beneficio uti voluisset, satis ad humanam indolem convenienter ingeniosus Autor Cardinalismi Rom. annotat. Sane enim vix reperias, quibus illa Grotii Philosophia l. 2. de J. B. c. 4 §. 8. num. 2. valde animum turbet, *imperia magna esse onera & quæ non bene administrata hominem Divinæ iræ reddant obnoxium.* Tulit tamen exempla Regum ultro potestatem abdicantium etiam recentior ætas, Caroli V, Christinæ Svecæ, Jo. Casimiri Poloni. Atq; liquidum quidem nobis vide-

videtur, posse Principem in Imperiis pure Monarchicis jure suo se abdicare pro lubitu, modo tempore minus oportuno Remp. quam periculis expedire poterat, & cui aliquo saltem modo per susceptionem Imperii se obstrinxit, non deserat; quod in Regnis non patrimonialibus posset fieri, si successio in Principem minorennem, gerendoque imperio minus habilem, incumbentibus præsertim bellorum motibus, devolvenda esset. Secus autem non nihil sentiendum erit de Rebusp. ubi summæ potestatis jura cum aliis communicata sunt, & ubi certæ pactioum formulæ Regem Populo & imperii sociis obligarunt. Quamvis enim ne in istis quidem juris sui abdicandi potestatem Principi ereptam esse præsumi queat, minus tamen libere, neque citra Ordinum aut Populi consensum temere ea potestate se abdicare poterit, quæ ipsius vere non est propria. quo non male forsan applices doctrinam Romanorum Jctorum ex l. 65. §. 5. ff. pro soc. si renuncia-verit societati, unus ex sociis eo tempore, quo interfuit socii, non dirimi societatem, committere eum contra societatis jura. Congruit itaque naturalis æquitati, eorum consensionem omnino hic requiri, iisque imperium resignandum esse, à quibus Princeps illud accepit, & cum quibus communicatum ac divisum tenuit. Vid. Conring. ad Lampad. p. 3. c. 2. §. 7. Observare licet diversam imperii abdicati rationem in illustri exemplo Caroli V. Cæsaris. In Hispania citra ambages indicasse suffecit, Carolum V. Hispaniæ R. legitimo jure factum sponte omni se potestate abdicare, Regemque esse jubere ac hæredem suum instituere Philippum filium. In Belgicis

sibi
jure
icet.
ven-
est.
uam
con-
unc
Vid.
le ne-
apit.
one-
e ex-
ibu-
pine-
ni V
ardi-
sule-
mata
men
illius
plem
Rom.
rotii
num
e ad-
ium.
abdi-
Sve-
nobis
vide-



588
gicis quoque ditionibus præcipue voluntatem & auctoritatem principis abdicatum à se regimen filio ad Imperium habili deferentis allegasse, loco validi juris fuit. Vid. *Alphonsus Ulloa in vita Car. V. l. 5. Godelevæus de abdicat. Car. V. ap. Goldast. in Polit. Imper. p. 7. Thuan. l. 16.* Multum vero à cæterarum ditionum regiminis abdicandi modis ille discrepat, quo Germanicum Imperium Ferdinando tradidit. Notabilis formula, qua legati in Comitibus Francofurtensibus ad Electores usi, apud Godelevæum affertur. *Cum hoc negotium Electorum munus atq; dignitatem præcipue concernat, se citra ipsorum scientiam nihil in hoc voluisse agere petere se igitur clementer & amice, ut quod gravissimis de causis secum constituisset, non solum ipsi firmum ratumq; habere, sed huic actioni, resignationi, cessioni ac traditioni Rom. Regi faciendæ pro majori solennitate, auctoritate, & pompa & conservatione propriæ dignitatis ac juris (quod minime infringere per hoc intendat) coram præsentibus adesse velint.* Digna est quæ hic legatur *Dissertatio Celeb. Obrechtii de abdicatione Caroli V.*

XX. Pro aliis sive liberis, sive agnatis imperium abdicari nequit, ubicunque verum eis jus quaesitum est, non ex principis jure ac voluntate pendens. Grotius *l. 2. c. 7. §. 26.* in lineali successione difficultate rem carere monet, quippe ubi planum sit, succedendi jus in posteros ex primo Rege venientes transmitti. In hæreditariis vero nihil in libero transferre posse eum, qui jus à se abdicet, quod de patrimonialibus regnis facile concedi potest, Potuit etiam populus primo Regi & ejus posteris hæreditario jure possiden-

possidendum Regnum concedens eligere quidem
viam successionis ab Intestato, sed ita, ut parentum
abdicatio liberis eam posset præcludere. Verum vix
est, ut in dubio illud præsumatur. eo ipso enim, quod
elegit viam succedendi ab Intestato, videtur certum
aliquem succedendi modum constituisse, atque fir-
mum aliquod jus in primi Regis posteros transmitti
voluisse. Neque officit, regna hæreditaria secus at-
que illa, ubi linealis viget successio, communis hæ-
reditatis indolem imitari, aliud enim est vulgaris hæ-
reditatis naturam induere, aliud eam imitari. Etenim
in hoc ipso, bene monente Cl. Pufendorffo l. 7, c. 7. §. 12.
à vulgaribus hæreditatibus ejusmodi regna differunt,
quod licet non nisi morte prioris possessoris ad alterum de-
volvantur, & ab isto huic velut de manu in manum
dentur, tamen occasione duntaxat prioris domini ad alte-
rum perveniant, non autem, uti aliæ hæreditates, ex pri-
oris domini jure, voluntate & beneficio. nam successio in
hisce regnis non ab arbitrio ultimi possessoris dependet;
sed ex constitutione populi in stirpe regia continuatur.
add. Grot. l. 2. c. 14. §. II. num. 1. Licet itaque non nisi
per intermediam parentum personam succedendi jus
in liberos transmittatur, tamen & hic necessaria magis
quam voluntaria esse videtur transmissio, ad paren-
tes quod attinet. Unde probabilior sententia est, pa-
trem pro se & liberis regnum, in quo hæreditariam
successionem populi voluntas induxit, abdicantem,
quantum ad liberos reclamantes nihil agere, saltem
ubi liberorum jus vel aperte vel tacite populus susti-
neat. Qui si patris voluntatem approbet, tamen ne
sic quidem liberis natis & contradicentibus nulla fiet
E injuria

au-
o ad
juris
Gode-
imper.
ditio-
quo
Nota-
rten-
ertur.
præ-
n hoc
ce, ut
solum
atio-
majori
e pro-
er hoc
na est
abdi-
mpe-
quæ-
pen-
e dif-
n sit,
entes
rans-
patri-
etiam
jure
iden-



injuria, nisi graviora forsan momenta rerum Populum ad mutandam voluntatem induxerint. add. Boecl. ad Grot. *l. 2. c. 7. §. 26.*

XXI. Exstincta domo regnatrice & vacante Principe, quem lex successionis demonstrare queat, jus de successore & universa Imperii ratione statuendi ad Populum sui juris revertitur, & electione tanquam subsidiario quodam imperii acquirendi modo successionis defectus supplendus est. Nam neque præsumi populus potest, familia imperantium sublata, etiam civile vinculum, quo Resp. cohæret, voluisse dissolvi; neque, nemine exstante, cui jus imperii in ipsum competat, prohiberi à quoquam potest, quo minus eadem facultate utatur, qua initio ante jus familiæ certæ acquisitum gavissus fuit. Redit ergo Principis eligendi potestas vel ad populum, vel ad optimates, & qui populum repræsentant. Quanquam fieri subinde soleat, ut imperii in incerto fluctuantis occasione, dum oportuni conatibus sunt rerum transitus, juris nomina in novi principis electione haud satis valide exaudiantur. Ubi certum arbitramur, si qui eligendi arbitrium sibi sumant, ad quos ea facultas non pertinet, pro legitima electione eam non habendam esse, nisi illorum, quibus eligendi potestas competebat, consensus tanquam nova causa jus parere idonea accesserit. Itaq; de electione veterum Cæsarum Romanorum (loquimur de ea, quæ facta fuit successore non exstante) recte judicat H. Grotius *l. 2. c. 9. §. 11. num. 1.* eam ad populum pertinuisse, & aliquoties à Populo per se aut per senatum factam esse: quæ autem à legionibus modo his, modo illis factæ electiones, non fuisse ratas ex jure legionum

591.
gionum (nam in vago nomine jus certum esse non posse) sed ex approbatione Populi. Quo Macrini illa collineant apud Capitolinum: *Detulerunt ad me imperium, cujus ego P.C. interim tutelam recepi; tenebo regimen, si & vobis placuerit, quod militibus placuit.* quanquam politico judicio rem æstimantibus haud difficulter appareat, pene loco imperii rogationem fuisse.

XXII, Potest etiam contingere, ut electionis speciem imperitis præbeat, quæ revera successio est. Præterquam enim quod alicubi consensus populi aut Optimatum non nisi solennis cujusdam ritus causa intervenire solitus nihil de successionis genuina indole delibet, solent aliquando principes callidi præsertim in imperiis recens acquisitis, ut libertatis, ita electionis velamento in arcanis artibus dominationis uti. Apposite Boeclerus *ad Tac. 1. Ann. 7. Non splendet lætius in oculis hominum purpura successionis domesticæ, quam si electionis publicæ schemate, tanquam clavis aureis fuerit intertexta.* Ita de Tiberio Rom. Cælare, cui successionem Augustus non firmaverat minus, quam constituerat, cordate Tacitus, *cuncta*, inquit, *per Coss. incipiebat, tanquam veterem Rep. & ambiguus imperandi. Dabat & famæ, ut vocatus electusq; potius à Rep. videretur, quam per uxorium ambitum & senilem adoptionem irrepisse.* Postea cognitum est, ad introspectiendos etiam Procerum voluntates inductam dubitationem. Suetonius *Tiber. c. 25.* causam cunctandi affert metum undique imminentium discriminum, memoratque tandem quasi coactum & querentem miseram ac onerosam injungi sibi servitutem, recepisse imperium. Apud Petronium est:

E 2

Nolo

*Nolo, quod cupio, statim tenere,
Nec victoria mi placet parata.*

Sed & tacite ad stabiliendam in domo regnatrice successionem Tiberii exemplum pertinere, bene à Cl. Boeclero observatum est. add. Clapmar. *de arcan. Rerump.* l. 2. c. 15. Scio, summum virum H. Grotium l. 1. *de J. B. c. 3. §. 10. num. 5.* docere, Rom imperium etiam sublata omni Senatus & Populi potestate per Electionem conferri solitum. Sed quam parum illud Historiarum monumentis congruat, nisi de subsidia-ria successoris constitutione res intelligatur, jam ab aliis monitum est.

XXIII. Porro Adoptio quoque male cum Electione confunditur. Neque veritati omnino congruunt, quæ de illa, instituto suo serviens, loco antea à nobis allegato monet Galba. Proprie dictam Electionem Populo aut Collegio cuidam certo competere supra affatim docuimus, quod in adoptione secus est, ubi princeps successorem sibi designat. nec ablu-
dunt verba ipsius Galbæ: *Augustus in domo successorem quaesivit, ego in Rep.* Et vero parum popularem eligendi libertatem adoptionis illius nuncupatio sapit, quando apud frequentem militum concionem imperatoria brevitare adoptari à se Pisonem more D. Augusti, & exemplo militari, que vir virum legeret, pronuntiasse à Tacito traditur. Præcipua quidem adoptionis libertas in eo enitescit, quod per eam non secus atque electione optimum liceat legere, minimeque laude sua Galba fraudandus est, quod iudicio incorrupto in Pione successore designando usus fuit, quod in Nerva quoque Trajanum adoptante magnifice Plinius commendat in Panegyrico, unde
paucis-

paucissima verba hæc, quibus Trajanum alloquitur, subjungimus: *nulla adoptaticum eo qui adoptabat, cognatio, nulla necessitudo, nisi quod uterq; optimus erat, dignusq; alter eligi, alter eligere. Itaq; adoptatus es non ut prius alius atq; alius in gratiam uxoris. Ascivit enim te filium non vitricus, sed princeps eodemq; animo D. Nerva pater tuus factus est, quo erat omnium.* Sed rarissimi exempli ejus generis adoptionem esse non minus ipsissima Panegyristæ verba innuunt, quam ingenii humani indoles certissimo argumento est.

XXIV. Notabilis de successione adoptivi locus in Rom. historia apud Dionem occurrit in excerptis Xiphilini. *Post Claudii mortem Britannicum optimo jure imperio succedere oportebat, quod erat ejus naturalis & legitimus filius, quodq; valebat viribus corporis & flore ætatis vigebat. Jure autem Civili propter Jus adoptionis Imperium ad Neronem quoq; pertinebat.* Neque caret dubiis disputatio, an in Regnis ex Populi consensu hæreditariis adoptivi queant succedere? Potuit certe consensus Populi potestatem illam Principibus permittere, sicut de Rom. quod tetigimus, Reip. exemplo abunde constat; licebitq; de adoptionis ad successionem in imperio illo factæ modis legere, quæ in vita Ælii Veri memorantur à Spartiano. Respiciendum ergo præsertim fuerit ad mores locorum & temporum. Quanquam in dubio solum regium sanguinem successioni destinasse Populus præsumatur. Vid. Grot. *l.2. de J. B. c. 7. §. 16.* Ubi tamen haud sine omni ratione monet Boeclerus, illud vix videri posse contingere, ut adoptione successorem in Regno expresse

suc-
Cl.
Re-
l. 1.
et-
Ele-
illud
dia-
ab

Ele-
con-
ntea
Ele-
pete-
ecus
blu-
effo-
rem
apit,
im-
e D.
eret,
dem
non
mi-
judi-
ufus
ante
unde
ucis-



constituere Princeps aggrediatur, nisi de potestate id faciendi publica quædam sit præsumtio. Cæterum adhibere consensum populi tanto negotio perficiendo consultissimum erit, plerumque forsitan & necessarium, cum utcunque legitimis successoribus non exstantibus absolutam constituendi successoris potestatem citra omnem censuram Principi in regnis non patrimonialibus populus concessisse vix censi queat.

XXV. Probe etiam Grotius *l. 1. de J. B. c. 3. §. 13.* in dispositionibus de successione in Regnis discernenda monet ea, quæ vim commendationis apud Populum habent, & quæ veræ alienationis effectum. Fieri enim potest, ut salubrem Regno aut æquitati congruam Principis voluntatem Populus sequatur, licet nulla ad sequendam eam obligationis necessitas incumbat. Hinc & testamenta quædam improbane populo irrita fuisse addit, subjunctis exemplis Alphonsi Arragonii & Alphonsi Legionensis, quorum hic filio exhæredato filias, ille cum prole careret, Templarios & Hospitalarios milites, præterea custodes sepulcri Hierosolymitani ex asse omnes, singulos ex triente Ordines, Regni hæredes scripserat, *exemplum liberalitatis, quod admirarentur posteri, improbarent æquales*, ut magnifice priscorum temporum superstitionem jactans loquitur Mariana *l. 10. Hist. Hispan. c. 15.* Verum quæ de alienatione laudato loco Grotius affert, cautius accipienda sunt. Neque enim omnis successoris denominatio pro alienatione Regni haberi potest. Unde nec omnino apposite omnia, quæ subjungit, exempla afferuntur, quod in Caroli M. & Ludovici Pii testamentis perspicuum est, voluntatem suam

595

suam de Regno, quod dividuum erat, inter filios suos dividendo, minime verò de eodem in extraneos transferendo declarantium. Exhibet chartam divisionis Imperii, quæ in quibusdam exemplaribus Carolo M. adscribitur, præter Pithœum in volumine XII. scriptores Francicos complectente Goldastus in Constitut. Imperial. præceptumque etiam Ludovici de divisione inter filios apud eundem Pithœum exstat. Sed neque meræ commendationis vim dispositionibus illis Francicorum Regum temere quis tribuerit. Neq; enim illud liquido rem evincit, quod à summo Viro subnectitur, Carolum voluisse testamentum suum à Francorum Optimatibus confirmari, ut ex illis dijudicari potest, quæ a nobis §. 9. antea adducta sunt. Auctor est vitæ Carolinæ scriptor à Pithœo editus, testamentum de partitione Regni non solum a Francis confirmatum fuisse, constitutionesque pacis conservandæ causa factas esse, verum etiam Leonis Pontificis assensum & subscriptionem desideratam fuisse, cui nulla tamen firmum aliquod robur ejusmodi constitutionibus imperiendi facultas competebat. Jurarunt igitur Optimates, se, quæ Carolo placuerant, servaturos, licet de consilio & consensu Procerum antea requisito negari fortassis nequeat. Equidem multa occurrunt in historia illa veteris imperii Francici, sicut in Germaniæ quoque nostræ rebus maxime memorabilibus, de quibus difficilem & ambiguam dijudicationem reddit simplex rerum gestarum expositio, antiquis illorum temporum Historicis, in civilia momenta pragmatico iudicio parum penetrantibus, familiaris.

XXVI. Apprime autem non solum Regni sed &
Prin-

Tac. 3. Ann.
56.Curt. 1, 6.
.c. 9

Principum interest, ne successor in incerto sit, quo prae-
 vae aliorum imperio inhiantium spes cohibeantur, neu
 Reſtoris, qui sine liberis est, orbitas spernatur. V.
 Clapmar. de arcan. Rerump. l. 2. c. 21. Nobilis senten-
 tia Titi est apud Tacitum 4. Histor. 52. *non legiones, non
 classes perinde firma imperii munimenta quam numerum
 liberorum.* Hinc illa apud eundem Scriptorem: vive-
 re Vitellium & imperare, & si quid fato accidat, fili-
 um habere 3. *Hist.* 38. suaderi Prisco, ne Vespasianum
 senem triumphantem juvenum liberorum patrem
 praecipis coerceret 4. *Hist.* 8. plenam Caesarum do-
 mum, juvenem filium, nepotes adultos moram Sejani
 cupitis attulisse 4. *Annal.* 3. Inde prudentissimus Prin-
 cept Augustus subsidia dominationi Marcellum & A-
 grippam, Neronem & Drusum evexit, inde Germanicum
 Druso ortum per adoptionem à Tiberio adsciri jussit,
 quanquam esset in domo Tiberii filius juvenis, eo
 fine, uti pluribus munimentis insisteret. 1. *Ann.* 3. Gal-
 bae Pisonem adoptantis institutum ex verbis illius dis-
 cas: *audita adoptione desinam videri senex quod nunc
 mihi unum objicitur.* 1. *Hist.* 16. De Hugone Capeto Gal-
 liarum Rege Paulus Aemilius *Lib.* 3. *Robertum pater
 Hugo sibi cooptatum sacrandum curarat, ne in nondum
 firmato regno, si post fata sua id differretur, exoriri pos-
 set in tanta mortalium cupiditate Regni scelere virtute-
 que petendi novarum rerum moles.* Neque sane ad se-
 curitatem solum Regni, verum etiam ad arcana do-
 mus, & stabiliendum in familia regnatrice regimen
 successoris certi designatio spectat, uti fusius ad 1. *Ann.*
Tac. c. 3. ostendit doctissimus Boeclerus. Sed & usu
 in aliquibus Regnis obtinuit, uti certis quibusdam ti-
 tulis

597
tulis successores demonstrantur. Ita apud Cyprios
titulo Principis Galileæ eos gavisos memorat *Coriola-
nus Cepio lib. 3. de Petri Mocenici contra Turcas gestis.*
In Germanico Imperio Regum Romanorum, Del-
phinorum in Gallia, in Britannia Walliæ Principum
nominibus successores imperii agnoscuntur.

XXVII. Prudentissimè tamen Tacitus Tiberi-
um Neronem ab Augusto successorem delectum
memorans, cum monuisset, callidum Principem sic
cohiberi pravæ aliorum spes arbitratum fuisse, subji-
cit: *simul modestiæ Neronis & suæ magnitudini fidebat.*
Ea enim est mortalium plurimorum indoles, ut am-
bitionis illecebris illecti etiam benefactoribus sæpius-
cule se ingratos præbeant, & habere imperium, quam
expectare malint, fovente subinde ambitionem futuri
Principis adulatione Optimatum atque studiis vulgi
novitatis avidi. Scitent historiæ exemplis etiam eo-
rum qui parentibus suis imperium præripere ausi fu-
erunt. Itaque licet custodes perpetuitatis imperii
habeantur qui in illo successores destinati sunt; suspe-
cti tamen persæpe imperantibus esse consueverunt,
*ne acerbas Julio mense, quam Octobri maturas dulcesq;
uvas edere malint,* ut facete ad 4. Annal. Tac. loquitur
Forstnerus. Nervose apud gravissimum Historicum Ti-
berius Macronem præfectum prætorio Caligulæ stude-
re indigne ferens, *Occidentem ab eo deserere, Orientem specta-
ri,* novi Solis cultori exprobrat. 6. Ann. 46. ubi nobilis de
successore constituendo deliberatio meretur legi; nec sine
ratione *Germanici filio vulgi studia apud avum odii causa
erant.* Quod si acri ingenio & ambitionis stimulis agita-
to certa successionis spes delata sit, sedulo quibuscunq;
F) artificiiis

artificiis annitendum est, ne in formidolosam Principi regnanti potentiã futuri Reſtoris auctoritas excrescat. Licet tutissima via sit, cum Augusto sua maxime magnitudine niti, & constanti favore populi, virtute ac prudentia parto, rerumq; bene gestarum conscientia securum ab æmulum turbis & insidiis degere. De cœtero præter memorabilis illius Tiberianæ de successore consultationis exemplum expendi quoque merentur, quæ de successionis Tiberio destinatæ momentis, de singularis in ea ambitionis Augusti documento, de artibus Liviæ, gravis in remp. matris, gravioris domui Cæsarum novercæ, de comparatione Tiberii & Germanici, rerumque habitu, quibus successoris constitutio accommodanda erat, ad insignem locum *1 Ann. Tac. c. 10.* item ad Suetonii Tiberium §. 10. erudite disputavit Boeclerus.

XXIIX. Poterant his, quæ hætenus attulimus, plurima subjungi ad uberiolem hujus doctrinæ explicationem pertinentia. Verum jubet nos ingenii tenuitas instituti memores materiam hanc difficultatibus spinosam, tractatu nobilem, aliis accuratius examinandam relinquere. Itaque in domesticis dulcissimæ patriæ exemplis Academici hoc profectus specimen finiemus. Poterit enim augustissimi Imperii nostri vastum corpus non successionis minus, quam electionis nobilissima documenta suggerere. Communis quidem imperii majestas pene hæreditario quodam jure ad priscos Cæsares devoluta fuit. Exstincta in Ludovico IV. Carolina stirpe, supplendo successionis defectui necessitas Conradi I. Franconiæ Ducis liberæ electioni locum fecit. vid. Witekind, Corbej. *l. 1.* Ex
consilio

consilio deinde Conradi Henrico Aucupi delatum regimen, uti prisca moris reliquias observare liceat, accedentibus universi Francici Saxoniciq; Populi suffragiis. Notabilibus autem verbis *consilii & petitionis extremæ* ultimam illam Conradi de successore voluntatem designat Dithmarus Merseburgensis *lib. 1.* quamvis fatear tamen simplicitatem scriptorum illius ævi critici examinis subtilitatem vix admittere. Certe significantius de Ottone I. *l. 2.* idem auctor, *Omnes, ait, Reip. Principes Othonem filium ejus patris sui decreto ac petitione uno ore in Regem sibi & Dominum elegerunt.* Neq; abluere videntur, illa Witekindi: *convocato omni populo designavit filium suum Othonem Regem.* Post Othones in Henrici electione successorii quoque juris rationem habitam vox multitudinis apud Dithmarum *l. 5.* innuit. Eo itidem citra liberos extincto quomodo omnium consensus Conrado Salico regimen detulerit, fuse exponit Wippo in vita Conradi Salici. Legimus tamen apud Sigebertum Gemblacensem, Henricum Cæsarem, *consultentibus eum Principibus super substitutione regni, Conradum hunc designasse.* Conradus filium Henricum *principibus regni cum tota multitudine populi id probantibus successorem constituit,* narrante, quem modo nominavi, Wippone. Neque sub Henrico IV. prisca successorii juris auctoritas plane concidit, licet turbato Reip. statu in Comitibus Forchemensibus infensi Henrico Principes omnem illam enervare annisi fuerint, adhibita quoque rei stabiliendæ Romani Pontificis auctoritate, cui nullum in eam partem pondus erat. Memorabilia sunt, quæ de gravissimo negotio tradit Bruno in historia belli Saxonici: *hoc ibi consensu com-*

muni comprobatum, Rom. Pontificis auctoritate est cor-
 roboratum, ut regia potestas nulli per hereditatem (sicut
 ante fuit consuetudo) cederet, sed filius Regis, etiamsi
 valde dignus esset, per electionem spontaneam quam per
 successionis lineam Rex proveniret, si vero non esset dignus
 Regis filius, vel si nollet eum Populus, quem Regem facere
 vellet, haberet in potestate Populus. Quæ legaliter, ut
 loquitur, constituta auctori partium studiis dedito
 haud temere concesserint, qui à facto juris robur se-
 cernere didicerunt. quanquam subsequuta deinceps in-
 felicia tempora magis magisque, ut omnem publicæ
 rei statum, ita quoque pristina succedendi jura immu-
 tare coeperint. Video Cl. Boeclerum (in notit. imper.
 l. 4. c. 1.) arbitrari, in Friderico quoque I. non parum
 valuisse delegationem patrum. Verum quomodo fere
 necessitas aliqua istam expresserit, aliaque magis
 quam Conradi arbitrium principes respexerint, ex
 Othonis Frisingensis lib. 1. de gest. Friderici c. ult. § 1. 2.
 c. 2. apparet. neque obscura sunt, quæ initio lib. 2.
 Idem scribit: Rom. Imperii apicem sibi tanquam ex sin-
 gulari prerogativa vendicare, ut non per sanguinis pro-
 paginem descendat, sed per Principum electionem Reges
 creent. cui quo securius fidam, gravissima auctoritas
 scriptoris non solum synchroni, verum etiam inter
 ipsos Optimates prudentia & peritia rerum conspicui,
 imo Suevicæ Cæsarum domui addicti efficit. Licuit
 tamen Friderico Henricum VI. suffragantibus Prin-
 cipibus successorem sibi constituere, isque itidem
 cum consensu Principum filium suum Fridericum
 post se Regem designavit. V. Abb. Ursperg. & Otto
 de S. Blasio c. 45. Imo auctor est Johannes Mona-
 chus

607

chus apud scriptorem Magni Chronici Belgici, la-
tam cum consensu Rom. Curiae & Principum 52, qui
Imperatorem eligere consueverant, fuisse legem, *ut
amplius electio non fieret, sed per solam sanguinis suc-
cessionem imperium conferretur, quin & masculis defici-
entibus foeminae in hereditatem succederent.* Caeterum
contradixisse Saxoniae Principes, indeque obligationis
vinculo Optimates à Caesare solutos fuisse tradit Go-
belinus Persona in Cosmodromio. add. Chron. Hal-
berstadiense Mscr. apud Henricum Meibomium Se-
niorem in Apologia pro Ottone IV. Quicquid rei sit,
de conatu quidem Caesaris Henrici VI. circumstan-
tia, quas auctores memorant, dubitare nos vix si-
nunt. Verum successu conatus ille caruit, turbidis-
simaque Reip. sub Philippo, Ottone IV. & Frideri-
co II. tempora passim juris & facti nomina con-
fuderunt. Inprimis Romanorum Pontificum ambi-
tio & calliditas abdicationem pariter & electionem
Caesarum in suas utilitates trahens, quod jam sub Hen-
rico IV. occoeperat, omnem antiquum successionis
in Germanico Imperio ordinem convulsit. Trans-
lata denique post diuturni maxime interregni tempe-
statem à Principibus & Optimatibus universis aut
plerisque saltem ad Septemviros (quorum magna
jam tum antea auctoritas praecipue tamen in electi
ab omnibus Caesaris inauguratione enituerat,) plena
Imperatorum creandorum potestas fuit, sumtique
post Rudolphum Habsburgicum non ex una Do-
mo Caesares Germaniae praefuerunt. Inductum au-
tem & firmatum moribus per Septemviros Prin-
cipis designandi modum etiam publica Aureae Bul-
lae

læ constitutio stabilivit. saluberrimo sane instituto, ne gravissimi momenti negotium ullis dubiis urgere- tur, & sanctissime ad nostra usque tempora, adje- cto tamen octavo Electoratu, antiqua illa eligendi ratio continuata fuit. Præcipue vero ad laudabiles ac salutare Patriæ mores illud referendum est, quod & certis legum limitibus, conservandæ Ordinum li- bertati ac juribus, electi Principis libertas circum- scribatur, & manente quantumvis liberrimæ electio- nis jure, egregio tamen & immodicæ libertati op- posito temperamento jam tum pluribus uno seculis ex Augusta Familia Austriaca Cæsares sumti fuerint; cujus consuetudinis observantia ne quid ex electio- tionis jure decerperet, lege publica imperii diserte cautum est, Capitul. Leopold. artic. 36. Und inson- derheit x. De historia ac ritibus electionis Impera- torum & de electione Rom. Regis Imperatore super- stite legi poterunt, quæ congeffit Goldastus *part. 1. § 2. Polit. Imperialium.*

XXIX. Etiam Particulares Germanici Imperii Republicæ, quæ communis licet Reip. vinculo col- ligatæ, instar tamen peculiarium corporum civi- lium, Principum regimine gubernantur, cum ele- ctionis, tum successionis specimina abunde sugge- runt. Illa Ecclesiasticis, hæc Secularibus Principati- bus usitata est. Jus Episcopos eligendi variis quon- dam motibus ac mutationibus obnoxium denique jam tum ante aliquot secula ad solos Capitulares Canonicos Cathedralium Ecclesiarum devolutum fuit, favente paucorum eorumque Rom. Curiaë jurisdictionem agnoscentium electioni Rom. Pontifi- cum

103

cum versutia. *V. cap. Messana* § 6. *X. de elect. & elect. pot.* quæq; post Cl. Conringium eruditissima Dissertatione *de constitut. Episcop. German.* fusius isthæc prosequentem annotavit Zieglerus *l. 1. Jur. Canon. l. 17.* Successionis Jura in Secularibus Principatibus dudum stabilita varii passim generis occurrunt. Siquidem nulla universali aliqua aut communi omnibus Superioris Reip. lege universalem acceperunt normam, verum partim feudali investitura, partim singularum Particularium Rerump ac familiarum in illis regnatricium pactis, placitis ac moribus legitime constitutis pleraque omnia nituntur. Paucissima communis utilitatis intuitu publica Imperii totius constitutio induxit. Igitur alibi quidem primogenito successio defertur; alibi ditiones dividuntur. In quibusdam Principatibus etiam foeminas, extinctis masculis, investituræ ratio admittit; in nonnullis pactorum cum aliis illustribus familiis initorum formulis in casum deficientis stirpis regnatricis successio definita est. Poterant copiosis exemplorum documentis singula illustrari. Verum placet mihi, jam tum longius paulum evagato, quam initio decreveram, finem dissertationi imponere, accuratiori arduæ ac difficilis materiæ tractatione illis relicta, quorum & foecundius ingenium, & maturius ætate iudicium, & doctrinæ fertilior ubertas apta sunt copiosiores pariter ac maturiores fruges producere.

F I N I S.

(0)

U 574 x 7 A

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten mark or signature at the bottom center of the page.


MC



568

14

0



EXERCIT

ELEC

BVCC

IN

CA

INDOLPH

ANN

TYPE GEN

